ABIGAIL
MELODRAMMA
IN SACELLO ARCHICONFRATERN.
SS.MI CRVCIFIXI
Feria ſexta poſt Dominicam Paſſionis.
SVB HARMONICA DIRECTIONE
CINTHII VINCHIONII VITERBIENSIS
audiendum.



ROMÆ, Typis Reu. Cameræ Apoſtolicæ. MDCXCIV.
SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur

Si videbitur Reuerendiſs. Patri Magiſtro Sac. Palatij Apoſt.

Sperellus Epiſc. Interamnen. Viceſg.

Imprimatur

Fr. Franciſcus Maria Forlani Reuerendiſs. Patris S.A.P. Mag. Soc. Ord. Præd.

ARGOMENTO.

NEL tempo che Dauidde ancor giouanetto, fuggendo dall'ira di Saulle, ſi ritrouaua con la ſua gente nel deſerto di Faran, occorſe che Nabal ricco Paſtore fece conuito per toſare la ſua greggia nelle ſue Poſſeſſioni del vicino Moute Carmelo. Inteſe ciò Dauid, e ritrouandoſi allora con le ſue truppe in qualche penuria di viueri, riſolſe di mandar à chieder in tal congiuntura qualche ſoccorſo à Nabal, il quale per lo riſpetto, che Dauid auea ſempre fatto vſare dalle ſue genti alle di lui tenute gli douea eſſere non poco obligato. Ma ricuſando ſcorteſemente Nabal di ſodisfare alla di lui richieſta; già a coſi impenſato auuiſo ne meditaua Dauidde le vendette. Inteſe ciò Abigail, Moglie di Nabal, e per riparare alle imminenti rouine, mentre il Marito ſtaua mangiando co'ſuoi Paſtori; eſſa di naſcoſto portò a Dauidde vn abondante ſoccorſo, e le riuſcì di placarne lo ſdegno. *lib.1.Reg.cap.25.*

INTERLOCVTORES.

Abigail.

Nabal eius Vir.

Dauid.

Nuncius.

Paſtor.

Chorus Militum.

Chorus Paſtorum.

PARS PRIMA.

Nab. VANAS mecum iactans minas
Vir imberbis quid audebit?
Nunc. Viri fortis contrà minas
Cor imbelle quid audebit?
à 2. Strages inter, & ruinas
Nab. Nec me timidum videbit.
Nunc. Citò victum ſe dolebit.
Nab. Vanas mecum iactans minas
Vir imberbis quid audebit?
Nunc. Viri fortis contrà minas
Cor imbelle quid audebit?
Dauid ergò furorem concitare
In te, Nabal, non times?
Tanti nuncius Viri, ab Amico
Annonam rogaturus hùc adueni:
Sed, ſi auarus miniſtrare negas,
Iam velut Inimico
Tibi, pro Duce meo, bellum indico.
Nab. Vana timoris vmbra
Inuictus iſte Dux cæteros grauet,
Nabal quidem non pauet.
Nunc. Supplicem nempè cernis,
Modò Dauid tu ſpernis:
Sed tu quoque pauebis
Cum armatum in te ipſum videbis;
Quam modò derides,
O cœce non vides
Quàm pulcra ſit pax.
In te dum fulgebit,
Te ſanè terrebit
Belligera fax.
Quam modò &c.
Paſt. Militum inter numeroſos cœtus,
Armis vndique fretus
Dauid, vt te cum tuis

Illeſum, ò mi Domine, ſeruaret,
Iuribus ceſsit ſuis:
Et quod nunc ipſe dulciter rogauit,
Te negare non pudet? iam præuideo
Excidium nimis graue.
Tibi quæsò, & tuis citò caue.
Si tu preces modò ſpernis,
Time ſaltem, time minas:
A te ipſo, nec tu cernis,
Iactus es inter ruinas.
Si tu &c.

Nab. Non quæſitum præbere
Quis te docet conſilium?
Sile, inepte Paſtor; mea iura
Tueri meum eſt; tu pecus cura.

Paſt. Tenax in mente tua,
Nimis ſedet, ò Nabal, hæc Sententia.
Abigail vocabò, vt te ſua
Ipſa curet prudentia.

Nunc. Durus adhùc negabis?

Nab. Et tu adhùc rogabis?

Nunc. Præceps Dauid in te arma mouebit.

Nab. Nabal verò ridebit.

Nunc. Ad Ducem ergò vacuus redibo.
Sed ſupplicis ſi tu ſpernis amorem,
Non certè ſpernes vindicis furorem.

Abig. Me miſeram! tam tenue ſubſidium
Duci tam forti denegauit Nabal?

Paſt. Aſperè denegauit,
Et conuicijs mille
Læſum in noſtra damna concitauit.

Abig. Procul hinc arcendo pacem
Iam minacem
Præbet ſe infauſta ſors.
Tantæ culpæ erunt fructus
Meſti luctus
Diræ ſtrages, dura Mors.
Procul &c.

Ecce

Paſt. Ecce Vir appropinquat.
Cæcæ menti tu ſtude
Lucem communicare,
In errorem ne ruat,
Cuius communi damno pœnas luat.
Abig. Ah Nabal quid feciſti?
Quid audiui? quid vidi?
Siccinè tu crudelis hoc Dauidi
Negare potuiſti?
Ah Nabal quid feciſti?
Iam feroces aduolare
Cerno milites in te.
Per tot arma, ſponſe care,
A quo poteris defendi?
Reſiſtendi
Qua deciperis à ſpe.
Iam feroces &c.
Nab. Abigail ad quid vocibus tetris
Meam turbas quietem?
Ecquis eſt iſte Dauid,
In cuius ipſe deportare manus
Mea tenear bona?
Mea ſunt hæc. Tu, ſi quæ habes, dona.
Abig. Dilectiſſime Coniux,
Qua arte, quibus viribus reſiſtes,
Si violentus rapere tentabit
Quod præſtare roganti noluiſti?
Ah Nabal quid feciſti?
Nab. Timere, formidare,
Pauere, trepidare
Muliebris naturæ in te ſunt ſigna,
Sed, velut vero indigna,
Procul abſint à me.
Abig. Iam feroces aduolare
Cerno Milites in te.
Vt te poſſis reparare
Quæ vis emicat virtutis?

Quæ ſalutis
Spes blanditur hac in re?
Iam feroces &c.

Nab. Triſtes depone curas, Vxor mea,
Aut, ſi tam lentè tu te ipſam regis,
Vt impatiens legis
Nunc in pectore tuo timor inſideat,
Fac ſaltèm nè quis videat.
Nihil manum formido minacem
Nullus mihi ſe obtulit pauor:
Mei ſcilicet cordis ad pacem
Idem conferunt furor, & fauor.

Abig. Tibi cum tanto Duce
Vbi agenda ſit res,
Quæ reſiſtendi ſpes?

Abig. Time quæsò
Nab. Quæsò ſile
Ab. Ab armato
Duce irato.
Nab. Iam præuideo ruinas.
Si Dauidis times minas,
Abig. Tibi cor nimis eſt vile.
Time quæsò
Nab. Quæsò ſile.

Nab. Eia famuli mei,
Eia vos omnes pecorum tonſores
De panibus, de carnibus paratis,
Mecum hìc manducate.
Non Dauidi, ſed vobis deſtinatur
Totum hoc, quod poſſideo.

Abig. Me miſeram! quot mala iam præuideo.

Paſt. Imprudentiam Viri
Prudenter emendare,
Domina mea, tecum ipſa ſtude.
Ipſum ſi vis iuuare,
Ipſius auaritiam delude.

Cæcæ mentis nunc errorem
Oculata purget mens
Ad ſedandas Danid iras
Ni aſpiras,
Contrà nos iuſtum furorem
Iam irata mouet gens.
Cæcæ mentis &c.

Abig. Inter procula iam, & inter fercula
Luxuriat Vir meus,
Sed meæ menti quid inſpirat Deus?
Ah, ſi nimis infelix
Mei cordis interpres nunc non ero,
Dauid furorem mitigare ſpero.
Mentis vmbras quæ ſerenas,
Ne me fallas cara ſpes.
Sperno metum, fugo pœnas
Dum pacatas ſpero res.
Mentis &c.

Dauid Negauit ergò Nabal?

Nunc. Negauit, & neganti
Dum blanditias expono,
Dum oppono ruinas,
Nec preces curat, nec formidat minas.

Dauid Ecquid audiui? pretio tam vili
Qui noſtrum comparare
Sibi negat amorem
Noſtrum meritò ſentiat furorem.
Arma arma veloces parate
Forti gladio vaginam.
O vos omnes viduate,
Et Naballis ad ruinam
Feſtinantes properate
Arma &c.

Nunc Æquum eſt vt in corde
Nunc furor excitetur.
Quidquid in ipſum mali
Meditari tu ſcis, ipſe meretur.

Vires

Dauid Vires, quas ipſe ſpernit,
In ſe ipſum expertus
Vtrum ſpernendæ ſint Nabal videbit.
Et tam diri rigoris
Ipſum denique fruſtrà pœnitebit.
Reſiſtendi quam deludit
Stultum cor incauta ſpes!
Meas preces dum illudit,
Iam recedit ab Amico.
Sed cum Dauid inimico
Erit nunc agenda res.
Reſiſtendi &c.

Nunc. 2. Nudæ preces, quem non mouent
Cogat nunc armata vis
Qui in ſinu angues fouent
Iurè pereunt venenis.
Si te ſpernit dum es lenis,
Sæuus iam pugnando ſis.

Dauid Verè fruſtrà ſeruaui *l.* 1. *Reg.*
Omnia, quæ huius erant in deſerto; *c.* 25.
Et non perijt quidquam
De cunctis, quæ ad eum pertinebant.
Et mihi malum reddidit pro bono?
Nunc clementiam depono,
Nunc verè iuſtum induo furorem.
Si Naballi, ſi vlli ex viris eius
Nunc parcet furor meus,
Mihi non parcat in æternum Deus.
Pietate pro nobis, qui cares
Pietate tu dignus non es.
Quas clementer rogabam vt dares,
Violenter nunc auferam res.
Pietate &c.
Ecquid ergò moramur?
Veloces accuramus
Et Naballem cum ſuis occidamus.

Chor. Veloces accurramus
Militũ. Et Naballem cum ſuis occidamus.

SE-

SECVNDA PARS.

Abig. INTER mille confundor ambages,
Dum timoris formidine premor
Belli ſtrages hæc pingit in mente
Et repentè
Pectus occupat pauor, & tremor.
Inter &c.

Paſt. Me miſerum! quid adhùc hìc moramur?
Huius collis è culmine
Caſtra mouentem Dauid iam proſpexi.
Vt ergò à tanto fulmine
Nos ipſos eruamus,
Nunc veloces cum donis accurramus:
Si tu rogas, euaneſcet
Per te ſolam hoc certamen.
Per te nobis illuceſcet
Cara pax, dulce ſolamen.
Si tu &c.

Abig. Ecce Nabal cum pecorum tonſoribus
Vino iam delibutus
Suos nihil in nos figit obtutus.
Pane, carnibus, vino,
Et multo cibo graues
Nos præcedunt Aſelli. Feſtinemus,
Et ante quàm in nos ſe ipſum fundat
Iuſtum Dauid furorem mitigemus.
Belli crudelis
Ne nos accendat
Infauſta fax;
Læta de Cœlis
Citò deſcendat
Amica Pax.
Belli &c.

Abig.
Paſt. à 2. Veloces accurramus,
Et furentem lenire ſtudeamus.

Sorte

Nab. Sorte quidem felici!
Hodiè vos conniuas deſtinaui
O vos omnes Amici.
Ecce ad manducandum, ad bibendum,
Vos fercula, vos calices inuitant.
Mecum læti prandete,
Et Dauidicas minas irridete:
Ipſius nempè furor nunc maiorem
Et potui, & cibo auget ſaporem.

Chorus Paſtorũ. Viue Nabal viue lætus
Inter dapes dum gaudebis,
Irridebis
Præliantum mille cœtus.
Viue &c.

Nab. Spumantibus in çyathis
Omnis mergatur cura.
Lætus quicunque gaudeat
Et funeſtare vos timor non audeat.
Fræna libera letitiæ
Inter epulas laxate.
Et ſi aliquid meſtitiæ
Veſtro remanet in corde,
Voſmetipſos tanta ſorde
Nunc per gaudium purgate.
Fræna &c.
Vanas querelas, & inanes minas
Imberbis ille miles
Vacuo fundat Cœlo.
Bella, ſtrages, ruinas
Timebunt, ſi qui ſunt, animi viles:
Sed vos mecum gaudentes
Vos ipſum irridentes exultate.
Fræna libera letitiæ
Inter epulas laxatæ
Inſultantis vos militiæ
Nihil terreant furores
Sed nunc cibos meliores
Tutis labijs guſtate.
Fræna &c.

Vbi

Vbi gaudia regnant,
Illuc non audet penetrare metus;

Cho. Viue Nabal, viue &c.

Nun. Quid agendum nunc iube
Inuictiſſime Dauid. Iam phalanges
Armis vndique ſplendent
Et à nutibus tuis omnes pendent.
Sui miſerum rigoris
Serò tandem pænitebit.
Minas equidem non ſpernet,
Cum vicinum iam te cernet
Et ſe victum præuidebit.
Sui &c.

Dau. Ecquid adhùc moramur?
Iuſtis vindictæ votis intus vror.
Eamus ergò quò me vocat furor
Venite celeres
O Duces mei.
Timor iam mortis
Nabal debilitat,
Et ſemper fortis
Pro nobis militat
Nunc ira Dei.
Venite &c.
At quæ nobis tam velox
Et tam tumultuoſa nunc occurrit,
Acies iſta cuius gentis erit?
Pacem, an bellum gerit?

Paſt. En appropinquat Dauid.
Ipſi velox occurre,
Atque virtute tua
Tuæ gentis periculis ſuccurre.
Miſerrimæ genti
In tutum
Te ſcutnm
Nunc eligit Cœlum.
Si preces effundes,
Tu ſola retundes

In

In manu potenti
Iam penſile telum.
Miſerrimæ &c.

Abig. Inuictiſſime Dux, ad pedes tuos
Infelix Mulier ecce ſupplex cado.

Dau. Tu mihi ſupplex! ſurge nunquam vultus
Illuxit meis oculis inſignior.

Abig. Maior virtuti tuæ debetur cultus.

Dau. Surge, nam tu obſequijs es dignior.

Abig. Nunquam, Domine mi, de terra ſurgam,
Donec pauca hæc dona
Tu benignè ſuſcipias,
Et me, & mihi ſanguine deuinctos
In Amicos recipias.

Dau. Surge, lætare iam vultu ſecuro:
Ecce dona ſuſcipio, & me tuis
Nunc amicum amicis
Et inimicis inimicum iuro.

Abig. Oh quale iubilum
In corde ridet!
Poſt tempus nubilum
Gaudio plena
Mihi ſerena
Dies renidet.
Oh quale &c.

Daa. Oh quanto gaudio
Dauid exultat!
Vocem dum audio,
Munus dum cerno,
Plauſu interno
Pectus reſultat.
Oh quanto &c.

Abig. Ecce inſani, & iniqui Nabal
Vxor, Domine mi

Dau. Tu Vxor Nabal?

Abig. Vxor Nabal ſum ego,
Nec ipſius errorem tibi nego.

Sed,

Sed, me inſcia, peccauit.
Nuncios, quos miſiſti, ipſa non vidi
Quod Vir ſtultè negauit
Ipſa nunc vltrò fero,
Et mihi, & Viro meo veniam quæro.

Dau. Dominus Deus Iſdrael,
Qui te nunc mittens in occurſum meum,
Vicinos per te remouet conflictus;
Sit ſemper benedictus.
Ecce in gratiam tui tuis parco.

Abig. Sed non ideò palmis ipſe cares,
Et quam ſibi Victoriam
Negat Dominus meus,
Super hoſtibus ſuis
Dexteræ illius multiplicabit Deus.

Dau. Tui doni magnitudo

Abig. Tui cordis fortitudo.

à 2. Mei cordis eſt ligamen

Abig. Tu abſoluens quidquid audes
Habes laudes immortales.

Dau. Grato animo tù vales
Omne vincere certamen.

Abig. Tui cordis &c.

Dau. Tui doni &c.

Nun. Quis hoc vnquam ſperabat?
Ecce iam ceſſant bella
Et in malaciam vertitur procella.
Ad cantus ad choreas
Læta vertatur gens
Oh res inexpectata?
De pace non ſperata
Exultat omnis mens.
Ad cantus &c.

Dau. Pacificè nunc tuis te reſtitue,
O Mulier formoſa.
Vocem tuam audiui
Et pulchram tui faciem exaudiui.

Pede

Abig. Pede quidèm abibo,
Sed tanto beneficio deuincta
Ego ſemper ad te mente redibo.
Cara pax, oh quam ſuauis,
Cara pax, quam dulcis es!
Pœnas inter, & dolores
Belli mitigat furores
Tanti boni ſola ſpes.
Cara pax &c.

FINIS.